OLAI
A.
SIL.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Considerati o quadrigae quaestionum de Syncretismo nonnemini Wittebergae emissa.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasii Logici repetiti

DIATRIBE II. DE TERMINO LOGICO GENERALI.

Disputationis loco
Ad sententiarum collationem
in Gymnasio Dantiscano
Proposita

PRÆSIDE
HENRICO NICOLAI
Philosophiæ Professore
Publico.

Respondentis vices obtinente
MICHAELE WEBERO,
Colbergensi Pomerano.

Ad diem 22. Octobris. S. N.
In Auditorio Philosophico.
Horis ab octavâ matutinis.

DANTISCI, Typis GEORGII RHETI,
ANNO cIↄ. Iↄc. XXXVIII.

Gymnasii Logici repetiti
DIATRIBE II.
De Termino Logico generali.

I.

C*Elebrabat olim superstitiosa Romanorum vetustas* Terminalia, *festa in honorem* Dei Termini *conficta, ad Februarij finem, quòd complures utilitates in finib: ponendis tutandisq́ue à Deo Termino se experiri crederet, ut* Ovidius lib. 2. Fast. *testatur.* Te duo diversa, *inquiens*, Domini de parte coronant, Binaq́; serta tibi, binaq́; liba ferunt. *Conveniunt celebrantq́ue dapes vicinia simplex, Et cantant laudes, Termine sancte, tuas. Tu populos urbesq́ue & regna ingentia finis, Omnis erat sine te litigiosus ager. Vide &* Livium dec. 9. lib. 5. Lactantium l. 1. diu. insti. c. 20. Macrobium lib. 1. sat. c. 13. *& alios: Quanquam sine causâ, usu, ac fundamento, Ut lapides colentes ipsos potiùs lapides ac stipites fuisse intelligatur, ut Lactantij verba sunt. Rectiùs Logicus* Terminalia *exhibebit, generalem nimirùm termini Logici explicationem, ob insignem, quam per universam Logicam ille præstat, utilitatem, & in applicatione ad omnes omninò disciplinas generalitatem.*

2. *Termini tractatio generalis potest esse* præcognitiva *vel* cognitiva.

3. Præcognitiva *tria exhibere potest: doctrinæ hujus peculiarem & distinctam necessitatem, Utilitatem, & tractationis hujus qualitatem.*

4. *Quà primum*, quæritur, An peculiaris termini Logici præmittenda tractatio? *Plurimi omittunt. Rectius ponitur. 1. ob generalem Logici objecti, quod terminus & notio Logica est, ut dictum* dis. 1, th. 23. *expositionem. 2.*

 distin-

distinctam Logicæ tractationem. *3. Ordinis synthetici dispositionem, qui à generalibus & simplicibus procedit ad specialia & composita. Ita in Physicis præmittitur corpus naturale, explicatur, quid materia, forma, natura, locus, tempus, &c. At Logica, etsi sit disciplina practica, procedit tamen ordine Synthetico. Aliæ enim disciplinæ practicæ vel finem moralem habent, ut Ethica: at Logica rationalem: Vel si artes factivæ sunt, quæ interdum etiam practicæ dicuntur, effectionem diversam à suâ doctrinâ habent, Ut docere, quomodo domus sit ædificanda, non est ædificare eam. Logica autem effectio analogica est, & cum doctrinâ suâ eadem. Sic docere propositionem construere, argumentari, ordinare, est ipsam Enuntiationem formare, argumentari, &c. Ideò hic à simplicibus ad composita procedendum, non compositis ad simplicia, ut syllogismo ad propositiones & terminos, Ut ex Neotericis procedit* Ravius l. 1. Log. nov. c. 1.

5. *Quà secundum:* Utilis hæc doctrina, *1. ad Logicam ordinatè tradendam.* Vide t. 4. *2. Thema quodlibet componendum vel resolvendum, quod per hanc termini doctrinam distinctè tractari potest, & in terminos suos resolvi potest analysi Logicâ.* At id debet esse in arte quod est in usu. Alsted. l. 1. Lo. har. cap. 2. *3. Intelligendos authores Neotericos Logicos, qui ita procedunt, ut* Mendoza, Dutrieu, Fonseca, Keckermannus, Alstedius, Timplerus, Scharfius, Arriaga in Summulis, Jac. & Corn. Martini, Gutkius, Wegerus, Eiflerus, Danhaverus, aliiq;.

6. *Quà tertium, distinctè hîc dicendum.* 1. Doctrina hæc non est Grammatica, *ut de Synon. & Paron. ait* Ramus, V. Cl. J. Mart. C. 2. q. ill. d. 3. q 2. *Item de absoluto & connotativo, complexo & incomplexo, similibus-*

libusq; terminis in anim. in org. Arist. p. 111. 112. *Nam* modus & finis tractandi *sunt planè diversa à Grammaticis: In Grammaticâ organon* purè dicendi, *in Logicâ organon* benè ratiocinandi *traditur. In Gramm: finis est pura dictio, in Logicis judiciosa ratiocinatio. Quanquam non diffiteor*, à quibusdam hic immisceri quædam Grammatica, *ut vox cardinalis & derivata* ap. Alsted. l. 1. Lo. har. c. 6. *Extrema vel media, divina vel humana*, ap. eundem c. 4. *homosemos, heterosemos*, c. l. *Term: adjectivus & substantivus* ap. Weger. pag. 103. Log. *Vox sit perspicua, communi usu recepta*, ap. Keckerm. l. 1. Lo. S. 1. c. 1. *Hæc magis sunt Grammatica vel Rhetorica, quàm Logica. Et si quædam horum in Log: tradenda, sub terminis magis Logicis proponi poterunt. Vt term: sit abstractus vel concretus, absolutus vel connotativus, &c.*

7. 2. Doctrina hæc non est realis & Metaphysica. *Ratio est, quia tota Logica est notionalis*, V. disp. 1. t. 23. *Non ergò debet terminos reales & Metaphysicos realiter tractare. Non ergò* hîc causa, causatum, totum, pars, subjectum, adjunctum, *realiter tractanda, ut explicetur, quid, quotuplices, quales, &c. sint, & reales eorum affectiones multis Canonibus deducantur, Vt Rameì & misti faciunt: Nam hæc omnia sunt realia, & reali cognitione mentem imbuunt. Et turpe est confundere notiones primas cum secundis, quam confusionem mistorum rectè notat* Cl. J. Mart. l. 1. c. Keckerm. s. 1. c. 1. p. 29. & C. 1. d. 4. q. 5. n. 5. & *frigidè defendit* Zanakius co. J. Mart. l. 1. s. 1. c. 14. q. 2. *ea ut instrumenta explicandi vel probandi thema hic tradi, in Metaphysicis ut ordinem inter ens & ens dicunt, regerens. Tractatio enim misto-*

rum longè ab isto scopo aliena est, cum plura misceantur, quæ realem causarum, causatorum, naturam explicent, non habitudinem eorum ad explicandum aut confirmandum thema concernant.

8. 3. Doctrina hæc est Logica, *id est, quadrans ad modum considerandi Logicum, id est, notionalem, & directa in finem Logicum, id est, ut bonæ ratiocinationi aut ordinationi Logicæ inservire debeat. Terminus ergò hic tractatur,* ut est instrumentum bonæ & judiciosæ ratiocinationis, & ordinatæ progressionis, *quæ est finis Logicæ, per* disp. 1. t. 20.

9. *Variè aliàs terminus considerari potest, & sic ad varias disciplinas referri. Consideratur* ut est notio rem intellectui repræsentatam significans, *ita ad disciplinas reales pertinet. Ita terminus alius Theologicus, alius Medicus, Philosophicus, Metaphysicus, Physicus, Ethicus, &c.* Ut est signum conceptus signato contradistinctum, *sic ad Metaphysicam pertinet, Vid.* Timpler. l. 3. Meta. 4. q. 1. Ut est index & character *mentem hominis & naturam probabiliter indicans, sic ad Physiognomian:* ut est organon ornatè dicendi, *sic ad Rhetoricam,* ut est organon congruè & purè dicendi, *sic ad Grammaticam,* ut menti loquentis congruens, *sic ad Ethicam & doctrinam de veracitate,* ut sono vel voce profertur, *sic ad Physicam,* ut organon bonæ ratiocinationis & ordinis est, *sic ad Logicam pertinet. Vide* Alstedium c. l. c. 3.

10. *Fuit* protheoria *termini:* Theoria *est vel* nominalis *vel* realis. Nominalis *homonymiam, Etymologiam, & synonymian termini explicat.*

11. *Homonymia vocis Termini multiplex est. Sumitur terminus vel* Philologicè, *vel* Philosophicè. Philologicè

logicè *notat* 1. *deastrum quendam Romanum, vid. thes.* 1. 2. *limitem & finem agrorum.* 3. *audiendi judicij diem, sic apud ICtos terminum figere est diem judicij dicendi statuere, argumento* Digest. l. 35. t. 1. l. 40. & l. 5. t. 1. §. 21. 41. V. Bertachin. p. 4. Repert. voce, Terminus. 4. *finem & exitum rerum. Sic terminus malorum ap.* Lucret. l. 3. Philosophicè *notat* 1. *qualemcunq; notionem, sive prima, sive secunda sit. Sic Termini Theologici dicuntur, Physici, Mathematici.* Vid. Cl. J. Mart. C. 10. d. 2. q. 1. & præl. Keckerman. l. 1. f. 1. c. 1. *&c. Hinc Lexica Theologica, Juridica, Philosophica, quæ illos terminos explicant. Ita* Bellovisius *terminorum explicationes edidit.* Altensteig, Alstedius, Joh. Ferdinandus *Lexica Theologica*, Bredero-dius, Calvinus, Bertachinus *Juridica*, Goclenius *Philosophicum, ediderunt.* 2. *Specialiter notionem secundam. Sic vocabula technica disciplinarum instrumentalium, ut nominativus, genus, species, hexameter, pentameter, synechdoche, metaphora, &c. dicuntur termini.* V. Timpl. l. 3. Met. c. 4. t. 39. 3. *Specialiùs termini dicuntur extrema rei in compositione aut resolutione. Sic puncta termini lineæ, superficies terminus corporis ap.* Euclid. l. 1. elem. *Ita Syllogismus habet terminos, in quos resolvitur, majorem, min: & med. Propositio terminos, subjectum & præd: in quos resolvitur. Hæc significatio Logicis est admodùm famosa.* 4. *Interdum terminus dicitur forma rei.* Vid. Zabarel. l. 2. de mat. prim. c. 9. Scheibl. Top. c. 5. n. 10. 5. *Quandoquè terminus notat* notionem Logicam primæ partis Logicæ, *materiam ad ulteriorem operationem Logicam disponentem. Ut hoc modo propositio & syllogismi non dicantur termini, cum terminus dicatur* vox nondum axiomatica, *ut ferrum ignitum; homo albus, ut rectè monet* Alstedius l. 1.

Log.

Log. har. c. 2. & Cl. Wegerus f. 1. c. 1. Log. *Et sic hîc sumitur. Quæ significatio hodiernis Logicis admodùm est usitata, ut* Mendozæ, Dutrio, Scharfio, Keckermanno, Alstedio, Wegero, *aliisq́ : Etsi antiquioribus non ita fortasse in usu. De quo vide* Cl. J. M. c. l. *Nec ob id rejicienda è Logicis hæc appellatio, quòd horrida Metaphora sit, ut* Alstedius l. 1. Log. har. c. 2. & l. 2. c. 1. vult. *Cum usui & necessitati in Logicis serviendum meminisse debeamus, non aurium voluptati aut jucunditati. Vtilis, commoda & significans termini est appellatio, etsi Tropica aut Metaphorica. Quales multas in Logicis aliàs toleramus. Vt propositionis, syllogismi, extremorum, majoris, minoris. &c.*

12. *Fuit* homonymia. *Sequitur* Etymologia. *Hæc vocis termini, Logica nulla est, est enim terminus vox abstracta, quæ derivationem Logicam non agnoscit: Grammatica* Etymologia *est vel â* terminando, *id est, limitando, definiendo, circumscribendo, quòd terminus aliquid definiat & determinet.* V. Weger. c. l. *vel* â terendo; *ut placet* Varroni l. 4. d. L. L. *quòd agri partes circa terminum maximè terantur: vel â* Græco τέρμις *vel* τέρμα, *quod idem ac Latinum terminus, quem Veteres & termen dicebant, ut placet* Becmanno in orig. L. L. p. 1068.

13. Synonymia *termini est, quâ terminus dicitur notio, noëma, (quidam hæc distinguunt.* V. Cl. J. Mart. præl. Keckerman. p. 26. *Hic communi modo pro iisdem sumuntur,) intentio Logica, (Quidam* notionem & intentionem *etiam distinguunt,* ut Keckerm. tr. 3. pr. Log. c. 3. *Sed contra communem Scholæ usum,* V. Weger. q. 1. org. in isagog. n. 1.) *vox, vocabulum secundæ intentionis, Ens rationis Logicum, secundum cogitatum,* Platoni λόγος τεχνικὸς, Aristoteli λόγος καθ' ἐπιστήμην, Tertulliano *verbum*

legiti-

legitimum, *in* Glossario Veteri *examentum*, *ut notat* Alsted. c. l. Rameis *& mistis etiam thema & argumentum dicitur. Vtrumq; ineptè: Vt de priore ostendit* Timplerus l. 1. Log. c. 2. *ipse alioquin mistus*, *Cui non satisfacit* Alstedius l. c. *De posteriori* Cl. J. Martin. l. 1. dis. Ram. c. 2. q. 10. 12. & C. 1. d. 4. q. 1. §. 5. *Cui non satisfacit* Scheiblerus c. 1. Top. n. 1. *quòd artifices jus* ὀνοματοποιεῖν *habeant. Hoc enim valet*, *Cum necessitas vocum id jubet. Hic autem nulla, cùm longè aliæ voces, ut termini, notiones simplices, &c. adsint, non argumenti voces ad hoc significatum pertrahere opus sit.*

14. *Hactenus* nominalis *Termini consideratio:* Realis *est vel* absoluta *vel* respectiva. Absoluta *est*, *quâ natura termini Logici generalis in se explicatur. Ea definitionem*, *divisionem & affectionem exhibebit.*

15. Definitio *Termini hæc est:* Terminus est instrumentũ Logicum apprehensionem simplicem mentis dirigens, & materiam ad propositionem futuram componendo ac resolvendo suppeditans.

16. *Ad intelligendam definitionem notetur* 1. definitum. *Terminus hic intelligitur* 1. *Ille qui est partis primæ Logices*, *non in genere omnis terminus. Vide* th. 11. 2. *Ille qui est signans*, *formalis*, *notionalis*, *id est*, *ex quo ut parte propositio componi potest: non materialis*, *signatus*, *objectivus*, *realis*, *id est*, *de quo ut significato propositio verificatur: Ne ipsis quidem prædicamentis exceptis*, *quæ pro notionibus primis quidam habent.* V. Weger. c. l. & Alsted. c. l. *Termini enim Logici*, *quà tales*, *sunt notiones secundæ & formaliter*, *& efficienter*, *& objectivè*, *& finaliter. Et à ratione notionaliter operante fiunt: & res ipsas & notiones intellectus dirigunt: & ut dirigant notionaliter*, *inventæ sunt*

 & ad-

& adhibentur. 3. *Ille, qui potest terminare propositionem, non qui actu terminat, ut subjectum & prædicatum, nomen & verbum.* Weger. c. l. *Hic in secunda parte est proponendus. At qui hic proponitur, partis 1. est proprius.* 4. *Terminus Logicus generalissimè sumptus potest definiri* instrumentum bonæ ratiocinationis: *sed hîc definitur terminus partis primæ.*

17. 2. Definitio. *Quæ constat* genere *&* differentia. Genus est instrumentum Logicum. *In hoc conceptu convenit terminus Logicus partis primæ cum notionibus Logicis cæteris, quæ omnes sunt instrumenta ad bonam ratiocinationem directa.* Vide Hipp. q. 4. Log. *Alij genus termini* signum *doctrinale statuunt.* Weger. p.26. Log. *Rectiùs instrumentum statuitur, hoc naturæ Logices, quæ instrumentalis est, & ipsarum notionum Logicarum, quæ instrumenta ratiocinandi sunt, convenientius, & ipsi discursui Logico, qui proximè per notiones, ut instrumenta fit, remotè ut signa, aptius. Propius ergò genus instrumentum: Remotius signum.* Notiones primæ accuratè loquendo sunt signa nostrorum conceptuum: secundæ instrumenta. V. Zabarella l. 1. d. N. L. c. 10.

18. Differentia *est in his*, 1. *apprehensionem simplicem dirigens. Directio hæc ad veritatem, ut finem intendit. Interdum enim cognitio nostra sistit in nudâ apprehensione, ut est cognitio definitiva, vel si quid per modum generis, speciei, Vniversalis, singularis, accidentis, substantiæ, apprehendatur, non procedendo ad ulteriorem discursum. Et quia falsò etiam in hac operatione procedere potest, instrumento opus habet, quo in veritatem dirigatur.* V. d. 1. c. 24. *Hoc terminus simplex partis primæ est* 2. *Materiam ad propositionem componendo & resolvendo suppedi-*

peditans. *Suppeditatio hæc est* 1. in compositione, *quâ terminus Logicus potest componere propositionem, & fieri pars actualis propositionis: Adeoq; hæc compositio aptitudinalis est in parte Logices primâ, actualis in secundâ.* 2. in qualicunq; determinatione, *sic particulæ subjecta vel prædicata propositionum determinantes, ut Petrus est homo doctus, etiam dicuntur termini Logici: Adeoq; hic abstrahitur à termino Categorematico vel syncategorematico. Ita omnis, quidam, nullus, sunt termini syntategorematici, qui in propositionibus additi multum ad veritatem ejus in syllogismo faciunt.* 3. in proximâ propositionis conformatione, *ut terminus sit is, ex quo proximè propositio conformetur, nam remotè & ex literis & syllabis constitui potest.* 4. in qualicunq; significatione. *Terminus Logicus debet esse significativus*, sive directè, *quando vox aliud quid à seipsâ significat, ut homo est animal,* sive reflexè, *quando vox semetipsam significat. Vt, Littri est bisyllabum. Hic τὸ littri nil significat, quàm seipsum, i. e. suas binas syllabas.* Vide Weger. c.l. p.28.29. *Vulgò suppositio termini materialis & formalis dicitur.* V. Scharff. l. 2. Log. c. 2. *Et in tali materiali significatione apertè indicandâ communiter ita formatur propositio: Hæc vox, blittri, est bisyllaba, Vt secundum materiam suam vox blittri sumi intelligatur, non aliud formale præter eam habere significatum. Plura* d. 7. *fortaßè hic dicentur.* 5. in Logicâ conformatione: *Terminus Logicus disponit* Logicè, *i. e. ut ad bonam ratiocinationem, h. e. veram rationalem operationem tandem fiat applicatio: per hoc* terminus Logicus *distingvitur à* Grammatico, *qui ad purè dicendum,* Rhetorico, *qui ad ornatè dicendum,* Oratorio, *qui ad copiosè,* Poëtico, *qui ad ligatè dicendum disponit.*

19. *Explicatâ ita verâ definitione patet, quid de cæteris habendum. Nimis* latè terminum definies instrumentum bonæ ratiocinationis, *hoc enim omni termino Log: competit, at hìc de termino partis primæ tantùm quæritur.* Nimis strictè *partem propositionis, hoc enim tantùm termino partis secundæ competit: aut id,* ex quo syllogismus constet, *nam hoc tantùm termino partis tertiæ competit, qui jam actu pars materialis remota Syllogismi factus est. At hic à tertiâ operatione adhuc abstrahitur, & in primâ tantùm sistitur.* Alienè notionem Logicam, quo unum quid & simplex menti repræsentatur, cum Keckerm. l.1. Log. s. 1. c. 1. *Nam hoc omnibus notionibus primis competit, ut benè observat* Cl. J. M. c. Keck. p. 31. *At Logicæ notiones secundæ sunt, non primæ: dirigunt, non repræsentant: instrumenta conceptuum sunt, non signa rerum.* V. t. 17.

20. *Inaccuratus est* Zanakius l. 1. con. Cl. J. M. s. 1. c. 1. q. 5. *quandam partem definitionis notionibus primis competere concedens. Nam* tota differentia definitionis, *unum quid menti repræsentare, non competit notioni Logicæ, sed reali & primæ, ut rectè monstrârat* Cl. J. Mart: *adeoq́ illa definitio falsissima est, sive pars ejus, sive tota notionibus primis competat. Non est, ut dicas,* repræsentare hìc esse Logicum, *i. e. dirigere rem repræsentatam: Nam ita proterviter in vocibus ludere, ubi propriæ non desunt, est patientiâ Philosophorum abuti.* In quo Lexico repræsentare est dirigere rem repræsentatam? *Rectiùs* Keckerm. *ipse notionem sec: definit* conceptum mentis, quo mens ut norma & instrumento utitur ad aliquid significandum. l. 2. Gym. Log. c. 16. *Rectiùs* in syst. Log. min. l. 1. c. 1. *terminum simplicem definit,* quo simplex

plex rei thema explicatur. *Hæc inquam, rectiùs, quàm in majori systemate.*

21. *Fuit* definitio *Termini: sequitur* divisio.

22. *Divisio Termini Logici varia & multiplex est.* Prima fit in generalem & specialem. Generalis est, qui in abstractione entis procedit, & ad omnes omninò materias verè commodeq; applicari potest. Specialis est, qui in entis conractione procedit, & quibusdam materiis, ut prædicamentalibus & finitis tantùm, applicari debet. *De generali hic agendum. Hic nota* I. Divisionis hujus necessitatem. *Materia Logica, circa quam ratiocinando Logicus versari potest, non est unius & ejusdem rationis, sed diversæ. Est materia quædam prædicamentalis & finita, ut homo, color: alia extraprædicamentalis, quæ vel transcendens, vel eminens, vel deficiens, prout* t. 25. *patebit. Non ergò iisdem notionibus tàm diversæ materiæ tractari debent, sed diversis. Non enim confusionis Magister Logicus esse debet, sed distinctionis. Assignandi ergò alij termini, qui indifferenter omnibus in Vniversum materijs applicari queant, quos hic generales dicimus: Alij, qui certis tantùm materijs, quos speciales. Et ut syllogismum Logicus in generalem ac formalem dividit, qui in omni materia procedit, & specialem ac materialem, qui in determinatâ materiâ: Ita & terminum commodè dividere potest.* 2. Termini generalis necessitatem. *Si in materijs transcendentibus, eminentibus & deficientibus datur ratiocinatio, datur & propositio, & consequenter aliquis terminus ad propositioοem formandam in illis idoneus. At in illis dantur syllogismi & propositiones. Ita in rebus Metaphysicis, divinis, discursus & enuntiata formamus. Quod qui negat,* ἄλογον *se & delirum ietigerum ostendit. E. & termini quidam ut materia enuntiatorum in*

 parte

parte 1. dandi sunt. Non autem hi speciales esse possunt, ut prædicabilia & prædicamenta, quorum formalia hæ materiæ longè excedunt. Ergò præter hos termini generales sunt agnoscendi, qui generaliter in omni omninò materiâ intellectum ad verum dirigant. Pluribus hæc in apologiâ pro terminis generalibus deducam, & rem ex immotis fundamentis ostendam. 2. Terminus generalis vel æquivocus est, vel distinctus. *Hoc primò omnium hîc ponendum, ut in termino generali ostendatur ineptia termini æquivoci ad ullam operationem Logicam.* Super æquivocis non stat contradictio, *ajunt Scholastici: Nec ulla Logica operatio, addo ego. Terminus ergò æquivocus est, qui plura significat, ut multa & indistincta, sub uno sono, sed diverso significandi sensu. Vt cancer, lupus, locus. Vt distingvatur ab illis, quæ multa significant sub uno conceptu distincto & universali, ut genus, quod plures species distinctè sub se complectitur, ut animal, substantia, species, proprium, &c. Æquivocus hic adducitur, ut sciatur, caveatur, & repudietur ab operatione Logicâ. Ineptus enim est ad ullam operationem Logicam, eoq; statim in principio divisionum removendus. Ejus plures divisiones & subdivisiones vide apud* Alsted. l. 1. Log. har. c. 6. *Imitatur ita Logicus prudentem artificem, qui removet impedimenta operationi suæ obicem positura, ut loquitur* Dn. Gutk. lib. 1. syn. Log. c. 1. th. 9. Terminus distinctus est, *qui unum quid & certum in sensu significat. Hic jam operationi Logicæ actus, & de eo divisiones reliquæ sunt intelligendæ. Per hunc enim ad finem Logices pervenietur, per æquivocum ad nullum, nisi fortè ad Sophisticum.*

23. 2. Terminus distinctus est vel consentaneus vel dissentaneus. Consentaneus, *qui affirmativè disponi potest, ut homo & eruditus.* Dissentaneus, *qui negativè, ut ho-*

ut homo & leo. Huc disparata, diversa, & oppposita pertinent, de quibus in postprædicamentis, & d. 5. *agetur.*

24. 3 Terminus Consentaneus est vel synonymus vel paronymus. *Hæc divisio est* generalissima, *quâ Logicus* omnem omninò materiam, *qualiscunque sit, sive* divina, *sive* humana, *sive* prædicamentalis, *sive* extraprædicamentalis, *affirmatè dispositam, judicat, verenè an falsò terminos junctos habeat. Si enim hos terminos adimas, nullum generale fundamentum eruendæ in affirmatâ enuntiatione veritatis Logicæ relinquas, quod* ἀφιλόσοφον. *Quidquid enim verè & affirmatè junctum est, omne synonymicè vel paronymicè se respicere generaliter asseverat. Aliud fundamentum in parte 1. non suppetit. Et sumuntur hi termini* in abstractione Entis, ut Dn. Gutk. loquitur, *h. e. in generalitate suâ abstrahunt à creato vel increato, finito vel infinito, usitato vel non usitato, reali vel notionali: unde &* formales *dicuntur ab eodem* l. 1. syn. Log. c. 1. §. 11. 13. c. 2. §. 1. & Cl. Gerhardo exeg. de perf. Chr. §. 171. Cl. J. M. d. 14. part. Theol. t. 90. 92. 108. *Hoc est, possunt omnibus omninò materiis accommodari: quamvis certo sensu* & materiales *dici possint, quia generalissimum ad materiam respectum habent, ostendentes cohæsionem subjecti & prædicati* generalem, *essentialem, vel non essentialem, qui respectus ex materiâ terminorum est dijudicandus, adeoq; materialis vocatur. Confer* Toletum in l. 1. de interpr. c. 6. §. 1. *Hoc modo non sunt ita* formales, ut affirmativus & negativus: *sed quodam modo materiales, ut à quibusdam vocantur.*

25. *Terminus* Synonymus *est, qui* Logice essentialiter & quidditativè de subjecto prædicatur, *id est,* ipsam essentiam in conceptu Logico quidditativè ac-

ceptam

ceptam exprimit. *Vt*, in prædicamentalibus., *homo est animal*, divinis, *Deus est Spiritus, Ens, Pater est Deus:* transcendentibus, *causa est principium, Necessitas est affectio Entis:* notionalibus, *genus est prædicabile, propositio est oratio, syllogismus est argumentatio, &cæt.* Paronymus est, qui Logicè extraessentialiter & non quidditativè prædicatur, *h. e. ubi prædicatum dicit aliquid, quod non ipsum quid subjecti dici, Logicè concepti, sed aliquid præter essentiam ejus Logicè & præcisè cogitatam, unitam tamen ipsi* qualicunque modo non essentiali, *ut* Dn. Gutk. p. 116. Log. *loquitur. Sic in* prædicamentalibus, *Homo est albus, docilis:* transcendentib. *Ens est unum, verum, perfectum, causa, causatum:* notionalibus, *genus est summum inter prædicabilia, est latius specie:* Divinis, *Deus est justus, bonus, verax, &c. Deus creavit mundum. Philosophi communiter huc prædicationes personales & sacramentales reducunt, Vt Deus est homo in Christo, & homo est Deus: panis Eucharisticus in usu est corpus Christi.* Vide Dn. Gutk. pag. 124. Log. Scharf. l. 1. Log. comment. s. 1. c. 3. *Etiam multi Theologi, ut* Dn. Wegerus *loquitur* s. 2. Log. c. 7. *& ego peculiari dispositione de synonymo & paronymo ostendi. In quâ modò, quæ optimè dicta sunt, citra calumniam ingenuè explicentur, & nihil erit periculi. Per me legi potest dicta disputatio vel in Theatro Europæ; Nunquam me pudor ejusdem subiturus est. Sed veritatem in eâ propositam defensamq; publicâ Apologiâ confirmatam dare constitui, & terminorum horum verissimam generalitatem ab omnium oppugnationibus assertam exhibere.*

26. *Pauca hic deliria sententiæ objecta diluam, ut quid de re sentiant, studiosi habeant, quorum usibus nostra commen-*

commentamur. *Oggeritur* 1. Isti termini *non exhauriunt naturam personalium & sacramentalium enuntiationum. Ergò non adhibendi. R. Egregiè profectò, & prorsùs setigericè. Quasi omnes termini exhaurire cogantur, & non potiùs suum formale & concipiendi modum in re expedire? Nec primæ, nec secundæ notiones semper exhauriunt. Si quis te animal dicat, nondum naturam tuam exhaurit, cum & setiger, & vanus, & calumniator sis. Nega, terminum istum tibi adhibendum, & per me non animal, bestia aut fungus sis, vel si quid insulsius. Prædicata personalia in Concreto, non abstracto, esse omnes ajunt Theologi. Non exhaurit Concretum naturam prædicati personalis. Væ ergò illis per musteos Censores, quòd concretas vocaverint! Ego cum illis me loqui malle profiteor, quàm cum setigeris grunnire. Nullus terminus exhauriet mystica, si de exhauriendo hic homulli cogitemus.* 2. Prædicandi *ratio potiùs ex ipso unionis formali sumenda, quàm generali ratione. Sed unio hic est mystica, inusitata, personalis. R. Cur verò non & ex generali prædicandi ratione aliquòd nominandum? Et personales prædicationes affirmantes, veras, præternaturales, paronymas eminentes, puras, simplices, concretas, appellare liceat? Quas appellationes & Theologis adhibere licet: & rationalis de illis operatio usurpare jubet, quam universam sustulerit, quisquis omnes terminos Logicos ab ijs amotos cupierit. Logicus & generali appellatione hic utetur, vocando affirmantes, veras, paronymas, &cæt: & speciali, Theologicas, mysticas, supernaturales, inusitatas: & specialissimâ, mysticas personalas & sacramentales dicendo.* 3. Quæ per extraessentialem *χέτιν declarantur, comitem trahunt analysin Nestorianam,*

& in-

Ha locutiones setigerice, setiger, setigeri, Studiosi Gymnasii ansam dederunt Pomeranos, quorum tunc magnus numerus Studiis hic operatus est, cavillandi et setigerosi i.e. Porcos appellandi, unde inter eos et reliquos Studiosos magnae enatae sunt contentiones, quas quidem Senatus affixo Valvis Gymnasii 16. Nov. 1638 speciali Edicto compescere studuit, sine tamen subsecuto effectu sic ut repetatur adhuc libellus supplex Studiosorum Pomeranorum 7. Maj. 1639 Collegio Professorio exhibitus, in quo rogatur ut omnibus insultibus securi et liberi reddantur

& intimam perichoresin labefactant. Sed personalia ita à Philosophis explicantur. Ergò. R. Major præter calumniam & inscitiam rerum Logicarum nihil habet. Om. prædicata propria, attributa Dei de deo, entis de ente, declarantur extraëssentialiter & non quidditativè, non enim Logicè quidditas subjecti sunt, sed quidditatis attributa. Nemo in illis parastasin Nestorianam adhuc somniavit. Nec ex personalibus ita explicatis eam sequi necessum est. Ampliùs hæc coroll. dis. 2. dec. 2. *discussi.* 4. In mysticis *potiùs de abductione, quàm reductione laborandum, & ostendenda disparitas mysticorum à Logicis, non convenientia. R. Est de abductione cogitandum, sed ab terminis incompetentibus, ut prædicabilibus, & prædicamentis: non in universum & competentibus, ut generalibus, quales synonyma & paronyma, dissentanea & consentanea. Secus nullam rationalem operationem in mysticis concesseris, quod* ἄλογον. *Formamus in illis syllogismos & propositiones. Cur non aliquos terminos generales pro propositionibus admittamus, Vt ex terminis consentaneis, Concretis, absolutis, denominantibus & paronymis, simplicibus & complexis, finitis, positivis, Categorematicis, eas esse? Ita propositiones personales vocare nemo Theologorum adhuc negavit. Ipse terminus* prædicationis *est terminus Logicus. Cur non & de illius remotione delirè somnias? Et nihil porrò de Enuntiatis personalibus enunties, sed verissimum Logices universæ hostem te esse prodas. Plura peculiari apologiâ adducam. Classica hodiè in Academiis de paronymiâ mysticorum est sententia, Vt* Jacobi Martini, Scharfii, Gutkii, Wegeri, Eifleri, *aliorumq; scripta docent, quibus qui contradixerit, nemo adhuc repertus est.*

27. *Id de hac divisione quæri possit*, an immediata sit, *hoc est, an nullus detur terminus affirmatè enunciabilis, quin sit synonymus vel paronymus?* Quidam *infinitos adducunt, de quibus dixi* citata disput. t. 14. Beurhus. l. 1. coll. Log. p. 33. causales *adducit, ut homo est creatura Dei. Hæc* partim synonyma sunt, *si ad modos essendi reducantur: sic creatum esse est modus essendi essentiæ humanæ intimè inclusus, qui modi ad synonyma reducuntur, ubi inferioribus entibus applicantur, ut homo est creatum, causatum, finitum, dependens quid, ut in transcendentalibus pluribus docetur:* partim paronyma, *si ut extranea essentiæ apponantur. Vt homo est genitus à parente, Aristoteles est doctus à Platone. Vinum est expressum à vinitore, panis à dulciario pistus est. Vbi externæ causæ rebus apponuntur tanquam accidentia & extraessentialia generaliter dicta, quæ ad ipsam Logicam rei quidditatem non præcisè pertineant, atq; ita ad paronyma reducuntur. Alij analoga adducunt. Hæc etiam pro diverso respectu vel synonyma sunt vel paronyma, sed per quandam similitudinem, quam doctissimè evolvit* Dn. Weger. f. 2. Log. c. 4.

4. Terminus est vel abstractus vel concretus. Abstractus *est, qui notat formam puram & præcisam à subjecto, ut humanitas, Deitas, albedo.* Concretus *est, qui notat formam cum habente formam*, sive *id fiat voce* substantivâ, *ut Deus, homo, pater, filius, magistratus, &c.* sive adjectiva, *ut albus, niger, Logico id perinde est.* V. Scharf. p. 62. Log. Valla *negat concreta Logica, & more suo exagitat* l. 1. dial. c. 3. *Quòd rara sint, & magnam partem pluraliter enuncientur, ut laudanda, pudenda. Sed* Valla *in his se versatum ostendit, velut Elephantus in mari Erythræo.*

thrao. Philosophis ea usitatissima, ut maximè exemplum ab Homero aut Horatio depromere non possis. Nec pluraliter ijs enunciantur, sed singulariter, ut termini rationem habeant, non terminorum. *Concipiuntur enim ea illis* sub unitate quadam universali, non discretâ pluralitate. *Plura de hac doctrinâ Metaphysici.*

28. 5. Terminus est Categorematicus vel syncategorematicus. Ille *est, qui in propositione primarium subjectum aut prædicatum esse potest, ut homo, animal.* Hic, *qui secundarium, adeoq; qualiscunq; determinatio primarij sub. vel præd. esse potest. Vt, omnis homo est animal docile; τὸ omnis & docile sunt syncategoremata. Alij aliter hac de re, & variè:* Vid. Scharfium p. 54. Log. *sed hoc modo definire tutissimum.* Alii mistum terminum *addunt. De quo duo dicenda:* 1. Extra propositionem actu, terminus aliquis mistus dici potest, *hoc est, potest in hac propositione esse categorema, in altera syncategorema, ut, τὸ omne est syncat. in hoc, Omnis homo est docilis: sed categorema in hoc, τὸ omnis est pronomen. Sic adjectiva interdum primaria subjecta & prædicata esse possunt, interdum eorum determinationes. Et sic termini misti.* 2. In ipsâ propsitione actu, nullus terminus est mistus, *sed omnis vel categorematicus, vel syncateg. nullus uterq; simul. Sic τὸ omnis est categorema tantùm in posteriori, syncategorema tantùm in priori, in nullâ utrumquè simùl.* Cat. & syncat. ad certam propositionem respectum habent, ubi nullus terminus simùl cat. & syncat. esse potest, sed vel ipsum prædicati aut subjecti locum habere debet, vel eorum esse determinatio adjecta.

29. 6. Terminus est absolutus vel connotativus,

vus. Absolutus, *qui significat rem per se sumptam citra adjacentiam, ut humanitas, animalitas, Homo, animal.* Differt 1. ab abstracto, *quòd omnis abstractus sit absolutus, ut humanitas, sed non contrà. Sic homo terminus sed non abstractus.* 2. à substantivo, *quod multa substantiva sint connotativa, non absoluta, ut pater, absolutus, dominus, servus, etsi pleraquè absoluta sint substantiva, si pauca excipias, ut causatum, finitum, dependens, necessarium, contingens, aliaq; transcendentia, quæ adjectiva, & tamen absoluta: non tamen contrà.* Connotativus est, *qui significat aliquid per modum adjacentis suo* subjecto, ut subjecto, *unde prædicatio paronyma & in quale oritur. Vt albus, vestitus, galeatus, locatus, visibile, audibile, sonorum, verum, bonum, speculabile, agibile, &c. Dicitur significare adjacenter subjecto,* ut subjecto, *h. e.* debet ut accidens adesse dici suo subjecto inhæsionis, adhæsionis, occupationis, &cæt. *Nam si notetur adjacens quid* rei, ut supposito, *sic & absolutus terminus adjacens dici generaliter potest. Sic humanitas adjacens Petri:* Sic & forma formato *adjacet, ut leonitas leoni,* & modus determinato, *ut bonitas bono, finitudo finito, personalitas personato, subsistentia subsistenti, &c. Quæ omnia tamen absoluta sunt. Alij iterùm aliter hac de re.* Vide Dn. Weger. cap. 8. f. 1. Log. *Sed ita, ut dictum, commodissimè explicatur.*

30. 7. Terminus est vel simplex vel complexus. Simplex est, *qui rem unam & simplicem significat: sive id fiat voce unâ, ut homo: sive pluribus, ut Salvator totius generis humani, id est, Christus: Romanâ primus in historiâ, id est, Sallustius.* *Logico id*

 parum

parum curæ est. Complexus est, *qui res duas involvit. Sive id iterùm* voce unâ *fiat, ut nemo, id est, nullus homo: album, id est, albedo, & aliquid habens albedinem; scribentes, id est, homines scribentes, &c.* Sive pluribus, *ut homo albus.* Differt hic terminus à propositionis complexione, *quòd hic sit actus mentis componentis & dividentis mediante copulâ, ut homo est albus: Ibi tantùm objectum, ut unum ex pluribus compositum cogitatur, ut album, Vt loquitur* Smiglecius dis. I. Log. q. 9. *Vnde complexio alia dicitur* objectiva, *hæc in parte primâ:* Enuntiativa, *hæc in secundâ:* discursiva, *hæc in parte tertiâ Logices locum habet.*

31. 8. Terminus est vel positivus, *qui rem positivam notat, ut Deus, homo,* vel negativus, *qui rem negativam. Hic* vel merè negativus, *qui absolutè negat, ut nihil, non ens, nullum:* vel privativus, *qui negat aliquid, sed in subjecto capaci & debito. Vt cæcitas, surdities, claudicatio, peccatum formaliter sumptum.* Vel finitus, *qui rem determinatam notat, ut leo, canis,* vel infinitus, *qui indeterminatam, ut non videns, non currens.* Vel collectivus, *qui collectionem rerum notat, & in inferiora sua distribui nequit, ut Respublica, Civitas, Exercitus:* vel distributivus, *qui in inferiora sua distribui potest, ut homo in Petrum, Paulum, animal in leonem, canem, &c.* Vel communis, *qui rem in inferiora distribuendam notat, ut homo, animal;* Vel singularis, *qui in inferiora Logicè distribui nequit, ut Petrus, Paulus, hic homo, hæc mensa. Estq;* vel *singularis re & ratione, qui nullo pacto per inferiora distribuitur, ut Petrus: vel re tantùm, ratione distribuibilis. Talis est essentia divina. Hæc etsi singu-*

singularissima, simul tamen in tria supposita ut inferiora distribui potest, quia infinita, & sic ratione considerandi communis terminisatione subit. Vel primæ notionis, *qui rem extra intellectum esse habentem notat, ut homo, leo:* vel secundæ, *qui rem per intellectum esse habentem, ut abstractum, Concretum, synonymum, paronymum.* Vel prædicamentalis, *qui rem in prædicamentis contentam notat, ut substantia, arbor, color, paternitas:* Vel extraprædicamentalis, *qui rem prædicamentis non subjectam, ut Deus, causa, contingens, metaphora, & cæt.* Vel subjicibilis, *qui ex significato suo subjici in enunciato aptus est, ut singulare respectu communis, angustius respectu universaliorꝰ, Petrus ratione hominis, homo ratione animalis:* Vel prædicabilis, *qui prædicari aptus. Ut communiora ratione angustiorum, adjuncta ratione subjectorum, ut homo est corpus, albus, &c. Plura de his similibusq́.* Scharffius in Log. præcogn. Wegerus f. 1. Log. Alsted. l. 1. Lo. har. Mendoza dis. 1. sum. Dutr. l. 1. Log. c. 1. *Alijq́ habent. In quibus quædam sunt, quæ admodùm remotè Logicis immisceri videntur, cum* Grammtica, Rhetorica, Realia, Metaphysica sint, *&c.* V. th. 6. 7.

32. Affectiones *terminorum variæ sunt. 1.* Primæ *operationis Logicæ ad verum directio,* V. t. 18. *2.* Respectus *ad notionalem habitudinem, quo ut notiones secundæ dirigunt & adhibentur.* V. t. 16. *2.* Necessitas, *quæ patet per* th. 4. *3.* Utilitas, *quæ per* th. 5. *4.* Applicandi generalitas. *Termini Logici hic traditi sunt generales, i. e. possunt applicari & rebus creatis & increatis, prædicamentalibus & transcendentib. eminentib. & deficientibus. Patetq́ inductione. Ita abstracta, concreta, consentanea, dissentanea, &c. omnib. in materijs accommodamus.* V. t. 25.

Fuit

33. *Fuit* Conſideratio Terminorum Abſoluta. Reſpectiua eſt, *quà in reſpectu ad partem Logices ſecundam & tertiam conſiderantur, Hinc termini proximè* ſubjicibiles vel prædicabiles. Quales nomina & verba in propoſitionibus, itemq́; ſubjecta ipſa & prædicata, majores, minores vel medii *in ſyllogiſmis oriuntur. De quibus ſuis omnia locis tradentur.*

34. *Fuit hucusq́;* Conſideratio Term. generalis. Specialis *quid ſit, t.22. definitum fuit. Hinc jam term. vel prædicabilis, vel prædicameutalis, oritur. De quibus ſequentibus diſputationibus tractabitur.*

Ἐκ παρεκβάσεως loco:

Philoſophia eſt præſtantior Jurisprudentiâ & Medicinâ, adeoq́; locus in ordinatâ Republicâ dignior dandus Philoſopho, quàm JCto aut Medico niſi & hos Philoſophos eſſe conſtiterit.

Magi *Matth: 2.* nec Reges fuerunt, nec ex Sabâ ut vulgo utrumq́; falsò cenſetur. Utraq́; Saba & Æthiopiæ & Arabiæ reſpectu Hieroſolymæ ad meridiem ſita fuit, At Magi ex Oriente. Suſa Perſarum fuit.

Rectè *Lutherus*: Deus agit mala, ſed non malè: Rectè *alius*: Deus ante peccatum, in peccato, circa peccatum, poſt peccatum concurrit: nunquàm cum peccato. Subtiliter *Biel:* Deus facit malum, ſed non malum facit.

Sabbatum δευτερόπρωτον *Luc: 6. v. 1.* Quid?

Nigredo eſt accidens corvi ſeparabile & inſeparabile.

Malè ſubſtantia in rationalem & irrationalem dividitur.

H. NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.